

Foll. 20.456
DE RE LOGICA THESES

QUAS

PUBLICAE CONCERTATIONI

EXPONIT

D. JOANNES BROTONS, ET RUIZ,

In Collegio-Seminarioque Academiae Orcelemis
Togatus, & Philosophiae Candidatus

P A T R O N O

D. D. FRANCISCO XAVERIO ELLIN,

VERGE, ET BALDIVIESO,

Seminarii ejusdem Alumno, Artium Magistro, Sa-
crae Theologiae Doctore, & Philosophiae
Antecessore.

LOCUS CERTAMINIS ERIT ORIOLENSIS
Seminarii Templum. Die 28 mensis Junii
an. 1779.



MURCIAE:

Excudebat PHILIPPUS TERUEL: Via Lintearia.



THE LOGICAL THEORY

OF

PUBLICAN CONSTITUTION

EXPOSIT

BY JOHN W. PROTONS, ET ALII

In Congress, for various Academic Degrees
Logans, & Philosophical Conditions

1845

D. D. FRANCISCO, PUBLISHER

NEW YORK, ET ALII

For sale by the Author, at the
New York, & Philosophical
Conditions.

LOGIC, OR THE THEORY OF

THE LOGICAL THEORY

OF



1845

BY JOHN W. PROTONS, ET ALII





Concedie^{on}. tres Illmos. Ss. Obisps. a Sta. THRESA DE JESUS, q se veni. en el Cou. dt Carme de Orihuela. 4o. dias de Ind. el Sr. Teran. 40. el Sr. Albornoz y 40. por el Sr. Tormo. rez. un P. N. y Ave Maria.

Algoroa se. Oriole. anno 1769.

D. O. M.

A T Q U E

HISPANAE. VIRGINI MATRI.

Q U A E.

AD. MORTEM. USQUE. VIRGINITATIS, F O E D E R A

ILLIBATA. SERVAVIT.

A T Q U E. S E X U S. U T R I U S Q U E.

SPECTATISSIMAM. INSTITUIT. FAMILIAM.

SAPIENTISSIMAE. E C C L E S I A E. D O C T R I C I.

Q U A E. E A M.

SCRIPTIS. SUIS. PROPE. DIVINIS.

A B. O M N I B U S. Q U I. V E R E. S A P I U N T.

O M N I. M E M O R I A.

M A X I M O. I N. P R E T I O. U B I Q U E. H A B I T I S.

D I T A V I T.

D I V A E. T H E R E S I A E. A. J E S U,

T O T I U S. H I S P A N I A E. M A X I M O. O R N A M E N T O.

C A R M E L I T A N I C O E T U S. D E C O R I.

Q U A E. J A M. I N D E. A. P U E R I T I A.

D E I

DEI. HONOREM. SEDULO. CURANS.
AB. IPSA. VERITATE. MERUIT. AUDIRE.
ET. TU. DEINCEPS. UT. VERA. SPONSA,
MEUM. ZELABIS. HONOREM.
SUMMAQUE. OMNIUM. ADMIRATIONE
SOLO. DEI. VERBO.
NULLO. OPUM. MAGNATUMQUE. FAVORE.
SED. HIS. CONTRADICENTIBUS. OMNIBUS.
DUO. SUPRA. TRIGINTA.
EXTRUXIT. COENOBIA.
CUJUS. VIRTUTES. RE. MAXIMAE.
SAPIENTIA. VERE. SUMMA.
GLORIA. PERPETUA.
DE. PALMA. CERTANT.
FIDISSIMAE. DEVOTORUM. CLIENTUM.
PROTECTRICI. SUORUM.
JOANNES. BROTONS. ET. RUIZ.
AD SVAE. IN. EAM. DEVOTIONIS.
~~MONIMENTUM. ET. PIGNUS.~~
HAS. DE. RE. LOGICA. PROPOSITIONES,
CONSECRAT. DICAT. L. L. Q. NUNCUPATUR.

FRAN. XAV. ELLIN LECTORI S. D.

Nihil mihi magis semper in votis fuit,
B. L., quam Illmi. juxta ac vigilantissimi
Praesulis nostri voluntati gerere morem,
ejus vel rogantis verba obstipo capite
suscipimus : quare Adolescentibus meis
commissis curis illam solum decrevi tra-
dere Logicam, quam Antonius Goudi-
nus exaravit, Peripateticorum quidem
comptissimus, quoque nemo felicius ma-
num ad scribendum appulit, sive doctri-
nam, sive ingenium, sive judicium, si-
ve methodum, sive orationem spectes, ut
cum recentioribus certare possit ; demptis
paucis, paucisque additis, quae proprio
collegi Marte ex selectioribus Auctorum
illorum locis, qui in mentis illustranda
Philosophia acute, ac diligenter sunt ver-
sati. Certe nulli peperci labori, ut & eo-
rum, quorum apud me auctoritas pluri-
mum valet, & vero valere debet, votis
tacerem satis, & Auditorum meorum sic
perficerem mentem in praëjudiciis vitan-
dis, & inquirenda veritate, ut scientiae

a

cu-

cujuslibet studio , sacrae praesertim Theologiae , quam prae caeteris sanissima nostri Collegio-Seminarii commendant statuta , liber eis aditus pateret. Hanc igitur Logicam Thesibus hisce contentam mei non dubitaverunt Auditores , tibi offerre , humanissime L. . Nec tamen ea confidentia , ut credam , omnia , quae de perceptione terminorum , rectitudine judicii , caetera , quae critices artem sapere videntur , abunde eos explicaturos , quippe qui sciam , litteratissimis etiam viris onus esse Etna gravius criticem perfecte callere. Candide ergo fateor , Juvenes exantlatam in hisce rebus operam probaturos , praeterea nihil. Haec mea monere intererat , tua nunc , errata aequo animo portare , vel saltem levi corrigere manu. VALE.

LO-

LOGICAE NATURA, ADFECTIONES,
& materia.

P. P.

OPeris, & instituti nostri consilium
postulat, ut Logicae historiam, ve-
lut in nucleo exhibeamus. Iccirco illius ori-
ginem, & vicissitudines non contentiosa,
sed placida, brebique oratione perseque-
mur.

I. Logica perficiendae Rationi instituta
est, eamque in inquirendae veritatis studio
ita dirigit, ut sine praeclaro ejusmodi fa-
cultatis lumine veritas ipsa gravissimis cir-
cumfussa tenebris videatur.

II. Verum docet à falso discernere,
sciendique instrumenta praebet: quare
eam Tullius merito dixit *Artem veri, &
falsi disceptatricem, & judicem.*

III. Multifariam partiri solet; in Natu-
ralem, nempe, & Adquisitam, Topicam,
Analyticam, Sophysticam, Docentem, &
Uten-

2
Utentem , quarum vocum dabimus notio-
nes.

IV. Si scientiam , mentisque Virtutem
dixeris Logicam : nobiscum senties.

V. Eadem Theoretica , sive speculatrix
est , practicis artibus quadantenus similis.

VI. Primariam Logicæ materiam , quam
Schola *objectum* nominat , dividitque in
materiale , *formale* , &c. res censemus es-
se quaslibet cognititas , quæ excipere natae
sint formam artis.

VII. Hanc vero quamnam adpellabimus?
paucis in certamine dicemus , quid Maio-
ribus nostris circa ingeniosam illam fictio-
nem enticuli rationis arriserit.

MENTIS OPERATIONES.

APPREHENSIO.

CUM Logicæ cura sit , mentem dirige-
re in cognitionem veritatis , ad singulas
mentis actiones illustrandas accedamus.

I. Omnis humana cognitio tribus men-
tis operationibus omnino continetur, *Appre-*
hensione , *Judicio* , & *Discursu*.

II. Apprehensio , ab aliis perceptio dic-

ta,

ta, simplex est mentis contemplatio, nihil
aiens, nihilque negans.

III. Vera igitur, aut falsa proprie dici
non potest.

IV. Ideae, & perceptiones non videntur esse posse una, eademque res: adver-
sus hanc opinionem, quam pro aris, & fo-
cis propugnavit Malebranchius, nihil fa-
ciunt Arnaldi argumenta.

Ideae na-
tura.

V. Est ergo idea objecti cujusvis imago,
species, simulacrum; seu id, quod menti
inest, dum percipit, aut cogitat, quodque
semper rei à mente distinctae, & quidem
aut existentis, aut possibilis imago quae-
dam est.

VI. Quamvis sententias, quae circa
Idearum originem versantur, ad examen
revocare, huius loci non sit, pauca tamen
pro rei nostrae instituto per summa capita
delibabimus. Ideam itaque ratione originis
dividimus in adventitias tantum, & facti-
tias.

Idearum
origo.

VII. Quare duplex cognitionum fons,
sensus & meditatio.

VIII. Hinc somniasse nobis videtur Pla-
to, qui animos humanos per sidera sparsos
esse putasset, adseruit, rerum omnium
ideas

4
ideas singulis mentibus à Deo impressas
fuisse, ac propterea aeternas esse, & in-
natas.

IX. Explossas etiam intellige innatas
Cartesianorum ideas, quas persuasum ha-
bemus in intermundiis tantum extare Plato-
nis, longeque à clarissima S. Augustini
mente abesse.

X. Claras illas, distinctasque ideas Dei,
veritatis, angelorum, animae; cogitatio-
nis, sapientiae, pulchritudinis, numeri,
rei, substantiae, temporis, negationis, &c.
quas passim effutiunt plerique recentio-
rum, nugas credimus, ac mera somnia.
Nostrum erit exponere, quonam facto eo-
rum ideas adquiramus.

XI. Minime ferendum est Malebranchii
systema, quo ideas mentis nostrae nihil
aliud esse putat praeter divinam essentiam,
quae mentibus intime affulgens, in se ip-
sa, uti in speculo objecta quaeque exi-
beat, ac representet.

XII. Illas tandem corporum exuvias ri-
demus, quae Democrito *idola*, atque Epi-
curo *simulacra* erant *incurrentia*.

Idae di-
visiones. XIII. Idea, suarum affectionum, objec-
tisque habita ratione, multiplex esse potest,
qua-

5
quarum notiones trademus, quantum pos-
simus accuratius.

XIV. Ventum ad ideas universales, quas
qui non nisi flatum vocis, arbitrantur esse,
Dialectice haereticos vocat S. Anselmus: ^{Univer-}
sunt igitur praeter voces, mentisque con- ^{salia.}
ceptusque naturae universales eisdem cor-
respondentes.

XV. An in rebus ipsis? Minime vero
gentium, sed in mente solum.

XVI. Quid vero dicendum de universa-
libus illis Platonis, ut dicitur, substantiis,
intelligentibus, à Deo emanantibus, ab eo
distinctis, à singularibus diversis, aeter-
nis, rerum sensibilibus exemplaribus, qua-
rum participatione res sensibiles existe-
rent? Eas cum Aristotele nugae canoras
appellamus.

XVII. Huc etiam revocamus praedicabi- ^{Praedica-}
lia, quae Porphyrius eorum quidem in ^{bilia.}
gratiam Chrysoarii inventor, in quinque
species divisit, *Genus*, *Speciem*, *Differen-*
tiam, *Proprium*, & *Accidens*.

XVIII. Genus notio sane maxime com-
munis dicitur à Porphyrio: notio univer-
salis, quae de pluribus praedicatur specie
differentibus in quid incomplete.

Dif-

XIX. Differentia ea est universalis notio, quae de pluribus dicitur numero differentibus in quale quid.

XX. Triplex esse potest, suprema, infima, & media, seu subalterna. Idem esto de Genere, & Specie.

XXI. Universalis notionem non meretur Differentia, nisi dum respicit individua speciei.

XXII. Genere, & Differentia species concluditur, estque *universalis natura*, quae de numero differentibus in quid complete affirmatur.

XXIII. Individuum, ut ex ipso nomine patet, illud profecto est, quod ita unum est, ut multiplicatis sit expers: unde definitur, *quod de uno tantum praedicatur*.

XXIV. Proprium quatuor dicitur modis: quarto modo acceptum est, quod quartum constituit universale.

XXV. Accidens est notio illa, quae pluribus adesse potest incolumi eorum natura.

Praedica-
menta. XXVI. Praedicamenta, quibus nihil notius in scholis, dispersit Aristoteles in classes decem. Plagii heic accusant Aristotelem Philosophi recentissimi, & quod praedi-

dicamentorum numerum sine causa auxerit. Jure ne, an injuria? unusquisque in suo sensu abundet, dum singulas eorum ideas pergimus explanare.

XXVII. Primam inter illa, ac nobiliorrem sedem sibi jure suo vindicat substantia, cuius idea adeo implexa est, atque obscura, ut vel inter ipsos Scholasticos anxie eius controvertatur essentia, quorum alii eam dicunt, ens negans existentiam in alio; alii vero, fulcrum, ac basim accidentium. Utrunque parum apte.

XXVIII. Rectius ergo, quoad licet, eam dicimus ens, quod in rerum natura per se constat, vel apertius: *Ens cui debetur esse per se.*

XXIX. Proximum est, ut de ideis adjunctorum agamus, quae substantiam ornant. Eorum princeps Quantitas est, quae secum adfert extensionem substantiae, expansionem in locum, immunitatem à penetratione, demum mensurabilitatem.

XXX. Ex his effectibus sola partium extensio, quam dicunt *in ordine ad se* veram nobis exhibet quantitatis ideam.

XXXI. Relatio in universum respectus est, seu ordo unius ad aliud: praedicamen-

Substantia.

Quantitas.

Relatio.

b

men-

mentalis vero est accidens reale, cuius totum esse in puro sistit respectu.

XXXII. Inter omnes facile constat, relationem subjectum, cui innititur, habere, terminum ad quem fertur, & quo erigitur fundamentum. Quod autem horum unumquodque sit, interrogati aperiemus.

Qualitas.

XXXIII. Qualitas forma, ait Aristoteles, *qua quales esse dicimur*. Clariorem aliam qualitatis notionem dabimus ex Schola, quam suppeditavit Ang. Doctor.

XXXIV. Quatuor numerantur qualitatis species, habitus perfectus, & imperfectus; naturalis vis, & imbecillitas; affectio brevis, & diuturna; forma, & figura: harum notiones, ac vulgaria, quibus apud nostros audiunt, nomina prodemus.

Reliqua
praedica-
menta.

XXXV. Reliqua praedicamenta sigillatim hic explicare, res mihi videtur lectori oppido molesta, atque injucunda. Unde quid actio sit, passio, ubi, situs, quando, & habitus, roganti exhibebimus.

XXXVI. Quodlibet praedicamentum varie partitur, species habet nonnullas, quasdam tamen proprietates; de quibus quantum res, & tempus exigunt, in palaestra dicemus.

Ab

XXXVII. Ab ideis ad earum signa, seu voces devenimus, quae vel arctissimum sunt societatis humanae vinculum: etenim eis animi nostri cogitationes, ac sensus exprimimus, aliisque communicamus.

Signa ide-
arum vo-
ces.

XXXVIII. Circa illarum originem nobis non placet Stoicorum, aliorumque veterum Philosophorum sententia, quam velut in nucleo referemus, & floccifaciamus.

XXXIX. Nobis siquidem persuasum est, voces esse signa arbitraria, & rerum, ad quas significandas institutae sunt, & conceptionum, quae rebus ipsis respondent.

XL. Idem esto iudicium de scriptura, quae homini ad societatem nato, & cognitione intellectiva pollenti, maximè quoque necessaria est.

XLI. Igitur de varia apud gentes scribendi ratione, de multiplici etiam pronuntiandi forma dabimus plura per quam jucunda.

XLII. Vocum, seu terminorum proprietates quinque assignantur, videlicet, Suppositio, Ampliatio, Restrictio, Alienatio, & Appellatio. De his, ac earum commodo, deque regulis suppositionis, & appellationis, pauca quaedam, utilia
ta-

tamen dicere ennitentur in certamine.

Recta
perceptio
vorum.

XLIII. Ad rectam instituendam cogitationem haud parum confert perceptio terminorum, quae ut perfecta sit, tres dotes habeat, necesse est: ut sit *integra*, ut sit *clara*, ut sit *distincta*: hinc tres eius defectus; *Diminutio*, *Obscuritas*, *Confusio*.

XLIV. Defectui diminutae perceptionis medetur *attentio*, cujus defectu maximi quique errores vulgo contingunt.

XLV. Haec ut foveri possit, leges aliquas, atque regulas, occasione data praescribemus.

XLVI. Obscuritati perceptionis consulit *Definitio*, quae illius de quo agitur, ostendit naturam.

XLVII. Alia nominis, alia rei dicitur: haec alia rursus habet membra, & suis circumscribitur legibus, quas in concione, si placet, audies.

XLVIII. Perceptionis demum confusio-
ni opem fert divisio, claritatis parens, memoriae dux, scientiarum oeconomia, quae rem in partes distribuit suas.

ALIA. Abstractio, quae divisionis est
quaedam species, & imbecillitatis huma-
nae mentis index, actus est, quo vel rem

in

in partes, si quas habeat, dividit, vel etiam saepe unam rei partem in varios conceptus distinguit. Alias divisionis species, & leges audies in lucta. Sed de prima mentis operatione hactenus.

JUDICIUM.

I. **J**udicium secunda humanae mentis Judicii natura. operatio binas ideas accurate perceptas inter se comparat, easque vel componit, vel divellit.

II. Nascitur inde propositio, quae est *oratio enuntiativa unius de alio*; vel *oratio significans verum, aut falsum*.

III. Eadem ratione materiae, quantitatis, qualitatis, & formae multiplex esse potest.

IV. Praeterea non est oppositio Oppositionis natura, divisio, atque leges. praecipua quidem inter propositionis proprietates, caeterisque utilitate praestans. Est autem illa, pugna duarum enuntiationum, quarum aiens una, altera negans est, & quae eodem omnino subjecto, eodemque praedicato constant.

V. Triplex distingui solet enuntiationis

op-

oppositio , *contradictoria* , *contraria* , & *subcontraria*.

VI. De contradictoriis tenenda regula: *contradictoriarum propositionum altera semper vera , altera falsa est.*

VII. De contrariis : *contrariarum utraque falsa esse potest , at numquam utraque vera.*

VIII. De subcontrariis denique haec solet afferri : *Subcontrariae propositiones ambae verae , at non ambae falsae esse possunt ; quamquam ut ingenue loquamur , nobis non probatur ; vel dicemus , subcontrarias inter sese oppositas non esse.*

Rectitudo
do judi-
cii.

IX. In recto propositionum iudicio , quo tota critices ars collimat , praecipua mentis perfectio , atque omnis sapientiae summa consistit. Iudicium itaque hominum rectum ut sit , conforme esse convenit suae regulae , quae est rei iudicandae cognitio.

X. Praeire oportet rectitudini iudicii sufficiens examen rei , quae iudicanda est.

XI. Praemisso examine ferendum est iudicium ad cognitionis mensuram : horum quodvis desit , rectitudo iudicii corruat necesse est.

Hinc

XII. Hinc quatuor numerantur uberri-
mi fontes, è quibus miserandi defectus in
judicia nostra profluunt: *vitiosa terminorum*
perceptio de qua supra: *praecipitatio judi-*
cii; *praeoccupatio*: *imaginatio* demum, &
sensus varie judiciis nostris illudentes.

XIII. Praecipitatio judicii ex duabus
causis fere oppositis oriri solet: aliquando
ex levitate ingenii; interdum ex nimio
eius impetu.

XIV. Praeoccupatio alia est intellectus,
voluntatis alia. Veniamus nunc ad reme-
dia, quibus defectibus his occursum ire
possimus. Id ut fiat, sequentes docebunt
canones.

XV. I. *Cum de propositione judicandum*
est, ante omnia termini, quibus constat,
attente considerandi sunt; si obscuri, &
ambigui, definiendi; si confussi, ac variis
partibus compositi, distinguendi.

XVI. II. *Perceptis terminis, si in idea*
subjecti praedicatum evidenter continetur,
de illo constanter affirmandum est; si ve-
ro ei manifeste repugnet, constanter ne-
gandum.

XVII. III. *Si perceptis terminis, inter*
eos nexus, aut pugna evidenter non perci-
pi-

pitur, cohibendus est assensus, donec ea conexio, aut repugnantia nobis aliunde innotescat.

XVIII. Connexio haec, seu repugnantia tribus modis potest innotescere: ratione, experientia, & auctoritate; pro quibus sunt regulae.

XIX. I. Omnis propositio ex terminis non evidens, si sequatur evidenter ex aliis evidenter notis, & ipsa quoque certa, & evidens judicanda est: At si sequatur solum ex probabilibus, & ipsa solum probabilis censenda est.

XX. II. Quae sensibus secundum naturam recte dispositis clare, uniformiter, ac distincte percipiuntur, certa judicari debent.

XXI. III. Quod nobis constat testimonio alicuius, qui nec falli potest, nec fallere; magis certum judicari debet, quam si nobis in se foret evidens; etiam si id nos omnino superet, immo iis, quae nobis nota sunt, videatur adversari.

XXII. IV. Quod vero constat testimonio eorum, qui quidem falli possunt, & fallere, attamen quos in eo facto nec falli, nec fallere aliunde certum est, id itidem certum

ju-

judicari debet ; sed juxta mensuram huius prioris certitudinis.

Judicii ex auctoritate humana ducti regula in factis ita se habet : quomodo autem in dogmaticis , en leges.

XXIII. I. Dogma communiter receptum etiam apud eruditos , etsi propterea omnino certum statui non debeat ; non est tamen convellendum , nisi evidenti ratione refutetur.

XXIV. II. Dogma à peritis in quavis facultate concorditer receptum , ut certum ab imperitis in ea facultate supponi debet. At cum periti dissentiant , utrorumque nutat auctoritas , dubiumque dogma censendum est.

XXV. III. Sapientium primae classis sententiis , etiam unius , aut alterius , multum semper est deferendum ; nec facile respuendae sunt , etiamsi à nobis non satis capiuntur.

XXVI. E re futurum arbitramur eas ex-
 planare censuras , quibus propositiones Propo-
sitionum
censurae.
 affici à criticis solent , atque notari : dicuntur enim falsae , verae , necessario verae , evidentes , per se notae , certae , probabiles , improbabilis , dubiae , temerariae , haereticae , erroneae , haeresi , & errori
 G pro-

proximae , sapientes haeresim , aut errorem , haeresi , vel errori fauentes , schismaticae , injuriosae , scandalosae , piarum aurium offensivae , simplicium seductivae , & captiosae ; quarum notio non una , nulloque non necessaria.

Criterium veritatis.

XXVII. Cum omnia , quae hucusque diximus , eo tendant , ut veritatem adsequamur , id unum superest , ut dicamus , in quo veritatis criterium constitui debeat. Est autem in mente nostra nota , sive character , quo veritas cognosci , vel à falsitate distingui possit.

XXVIII. Hoc ergo criterium non in sensibus , ut Epicurei existimant , constitutum est.

XXIX. Neque ideo sensibus fides funditus detrahenda , nam suapte natura fidi illi sunt veritatis vades , rationisque administri.

XXX. Cartesius duplex criterium adstruit , primum est , de rebus vel certissimis , ac manifestis dubitare , quae dubitatio lubrica est in errorem via : unde non prodesse , sed obesse plurimum putanda est vestigationi veritatis.

Al-

XXXI. Alterum est: *Quidquid in idea clara, & distincta rei alicujus comprehenditur, verum est, ac de ea certo valet affirmari.* Non probamus, quod fallax sit, an- samque praebeat acerrimis Religionis hos- tibus.

XXXII. Quonam igitur nobis utendum est criterio? Duplici, altero naturali, evi- dentia nimirum principiorum, artificioso altero, puta, regulis logicis.

RATIOCINATIO.

I. **N**ihil est, quo illustrius effulgeat divina propemodum mentis humanae vis, quam ubi judicium aliquod ex alio mente formato deducimus, dicimurque proinde discurrere, vel ratiocinari. Est ergo ratio- cinatio, *oratio, in qua unum ex alio infer- tur.*

II. Argumentatio plerumque dicitur, quae tribus constat ideis, quas verbis ex- pressas, *terminos* adpellamus.

III. Huius tres recensentur species, *exemplum, inductio, sillogismus*, sub quo continentur *enthimema, sorites, epichere- ma,*

ma, & dilemma, de quibus, uno dempto sillogismo, in concione, si res tulerit, abunde dicturi.

IV. Sillogismi naturam, divisiones, figuras, & modos paucioribus quoad fieri possit expendemus.

V. Suas quoque regulas habet sillogismus, quarum I. *Medium in aliqua praemissarum debet supponere distributive.*

VI. II. *Nullus terminus in conclusione distribui potest, nisi distributus fuerit in praemissis.*

VII. III. *Ex puris particularibus nihil concluditur; nec ex puris negativis sequitur aliquid.*

VIII. IV. *Conclusio sillogismi debiliorem semper sequitur partem.*

IX. V. *Termini sillogismi eodem sensu sumantur in singulis propositionibus.*

X. Demonstratio, quae est sillogismus scientiam generans, ac constans propositionibus necessario veris, duplex est: demonstratio *quia*, & *propter quid*: rursus à *priori*, & à *posteriori*.

XI. Discrimen, quod est inter hunc, probabilemque sillogismum, audies in palaestra.

Subs-

XII. Subsidia jam artis sillogisticae commemoremus, quae promptuaria quaedam sunt, sive loci, qui Topici dicuntur. Loci Topici.

XIII. Hi assignantur, à causis, ab effectibus, à subjecto, ab adjunctis, à contrariis, à simili, à nomine, à definitione, à divisione, ab auctoritate. Singula expe-
diemus.

XIV. Cum nullo aevo sophistica ingenia desint, necessarium est, ut & nos de sophismatibus dicamus aliquid. Est sophisma, seu paralogismus, argumentum apparenter verum; realiter falsum. Unde & fallacia adpellari solet. Sophisma, eiusque species.

XV. Latitat fallacia vel in dictione, vel in rebus ipsis.

XVI. Quae in dictione, quintuplex est, *aequivocatio, amphibologia, variatio sensus compositi, aut divisi, accentus, & figura dictionis.*

XVII. Septuplex vero, quae in rebus, *accidentis*, nimirum, à simpliciter ad secundum quid, & è contra, contradictionis, *petitio principii, consequentis, non causae ut causae*, atque interrogationis. Singula erunt à nobis exponenda. Ad utiliora pergamus.

ME-

METHODUS.

I. **M**ethodus, ut ipsa vox exprimit, nihil est aliud, quam via brevis, & ordinata ratio inveniendi veri, ipsiusve, cum inventum fuerit, exponendi.

II. In cognitione veritatis duplici inceditur via: inventione, & doctrina. Duplex itaque methodus: Analytica, & Synthetica.

III. Methodus analytica est, *modus ordinate procedendi ad inveniendam veritatem*. Synthetica autem, *modus ordinate procedendi in docenda veritate*.

IV. Ne justo simus morosiores, nihilque dicendum supersit; quatuor regulas, quibus methodus circumscribitur in genere, praescribemus; leges tres, quibus recta instituatur Analytica, & pro Synthetica quinque adferre non pigebit.

V. Esto methodus sit intellectus operatio; à recensitis tamen distincta non est, sed ad praedictas reducitur, nempe ad apprehensionem, & iudicium.

Istud nobis emensum hujus anni curri-
cu-

culum : hi labores , haec messis. Si quid
in rem tuam , fruere , dum majora tibi
moliri non desistimus.

*Vt. D. D. Alexander Matheos
& Rivas, V. G.*

Vt. Balaguer, Cens. Reg.

*Vt. D. D. Salvator Puche,
Stud. Reg. & Rector.*

Imprimatur,
Retana.



